

vocibus et precibus orarent, videns ille idola derelicta, et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos? Haereses invenit et schismata, quibus, subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cœcitate, circumscribit et decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa ecclesia homines, et dum sibi appropinquasse jam lumen, atque evasisse saeculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum evangelio Christi, et cum observatione ejus et lege non stantes christianos se vocent, et ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment: blandiente adversario, atque fallente, qui secundum Apostoli vocem, transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos subornat suos velut ministros justitiae, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.

III. Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui ecclesiae renititur et resistit, in Ecclesia se esse confidit? Quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, et sacramentum unitatis ostendat, dicens: Unum corpus, et unus spiritus, una spes vocationis nostrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et